



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

14. Dies Martii. Temporalibus bonis non siunt homines boni. S. Aug. ep.
121.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

stissimam facit, atque miserrimam. Intelliget miser in
orco quid amiserit, dum cognoscet quid habere po-
tuerit; hic enim sensus est Poetæ.

Nescit homo vere, quod habet, nisi cessest habere.

14. DIES MARTII.

Temporalibus bonis non sunt homines
boni. *S. Aug. ep. 121.*

*Erat ho. I.
mo in æ-
stimandis
bonis.*

Non minori damno, & peri-
culo hallucinantur homines,
in æstimandis bonis, quam
malis. Boni nomen apud
vulgus usurparunt illa, quæ nihil boni, nec conti-
nent, nec conferunt, præter nomen. Divinæ, gloria,
honor, dignitas, fama, & id genus alia quæ fugiunt
instar umbræ, evanescunt instar fumi, & pereunt
cum fugacissimo tempore, gaudent, & gloriantur
Boni nomine. Quomodo illa erunt bona, cum possi-
entes non faciant bonos? Bonum est quod pro-
dest. Anne prosunt bona temporalia, quæ nec fa-
ciunt te bonum, nec auferunt mala? Dolorem ca-
pitis, corona fulvo metallo conspicua, non minuet
potius augebit, quia gravat: molles, & peregrinis o-
doribus porfusæ chirothecæ, non tollent chiragram;
nec heroici cothurni podagram: nec saliares dapes,
aut Sybariticæ delitiæ cholicam, nec gemmis rigida
vestis, calculum. Non sunt convenientia his finibus
media. Non magis conferunt ut sis bonus, tempo-
ralia bona. Imo si rectè judicas, supervacua illa, atque
adeò ut nihil esse dices, & duces. *Quod queso dis-*
cri-

Martius.

Tessera.

195

crimen est inter supervacua, & nulla? Quænam eliges? Esurienti, ad remedium famis perinde est si nihil offeras, ac lapidem: ita, quæ remedium malitiae tuæ non præstant, quæ ad virtutem non ducunt, quæ ad Deum non adducunt, sunt tibi supervacua; si supervacua, non plus quam nulla, si nulla jam non bona.

II. Deinde, Bonum est sine defectu. Quomodo erunt sine defectu bona temporalia, cùm deficiant cum tempore? Vix accipimus, mox amittimus: vix possidemus, statim caremus: vix incipiunt, illico deficiunt. Itaque cùm hisce bonis necessario subsequetur tibi calamitas. Velis, nolis necesse est alterutrum eligas, vel bona temporalia judices mala, vel te miserum. Imo plus audeo dicere. Necessario tu miser eris, sive mala sive bona: si mala, jam inter mala non eris beatus, cùm Beatitudo sit bonorum omnium complexio; si bona, jam si his bonis careas, eris infelix: si infelix jam hoc ipso non erunt bona, quia inferunt mala, auferunt enim felicitatem, & aperiunt aditum miseriae: duplici autem viâ sternitur via ad hanc miseriam, aut cùm illa relinquant, aut cùm tu illa alterutrum necessarium est. Quam porro sint hæc bona deficientia, docebit te Augustinius. (a) Temporalia bona antequam sint non sunt, & cùm sint, fugiunt, & cùm fuderint non erunt. Itaque cùm futura sint, nondum sunt, cùm autem præterita sunt, jam non sunt. Quomodo igitur tenebuntur ut maneant, quibus hoc est incipere, ut sint, quod est pergere, ut non sint?

III. Te cupio, & tuā ipsā conscientiam in hac causa & hujus causæ controversia judicē. Amabo te, nonnē

N 2

hæc

(a) l, 3. de lib. arb. cap. 7.

hæc ipsa bona condemnas , quæ commendas , fateris-
que multis scatere , quæ debent emendari , mendis ?
Commendas dum optas tibi , condemnas dum so-
lum tibi . Hæc mala ut viderentur esse bona , emendi-
carunt patrocinium Unitatis . Quid ita ? Quia summi
Boni est esse unum . Cùm igitur illa temporalia bona
nihil in se habeant boni , illud affectarunt , quod est
proprium summo Bono , unum esse . Si omnia , quæ
tibi voves , habeas , non acquiesces , licet omnia possi-
deas nisi inter omnes solus , & unus omnia . Fateor
summi Boni est esse unum , sed non unius : non est
bonum singulare , sic tamen ut sit singulorum : est
bonum unum , sed omnium . Quid majus bonum est
Deo ? At Deus omnium est , & sic omnium , ut sit o-
mnia omnibus . Ista quæ tu censes bona , cùm unius
duntraxat sint , non sunt bona . Quare ? Quia quæ u-
nius sunt , nulli prosunt . In primis aliis non profitantur
dum tua sunt . Debent desinere esse tua , ut incipiant
prodesse aliis : nummus , nisi alienes alteri non profi-
ciet : quid dico ? imo nec tibi . Quid non proficere
dico ? nocent dum tua sunt , quia unius : & ne alia
damna , curas , pericula memorem , invidiam interpo-
no . Satis magnum malum est , cui magnum malum
appendix est . Ob tot nævos , & defectus contra om-
ne jus , occupant bona temporalia nomen Boni : quia
possidentem reddunt , dum illos deserunt miserum ,
dum perniciter fugiunt inter læta omnia tristem : ita
mihi suffragante Poëta :

Hoc est consuetum , comitantur tristia letum .